

hoc ipso homines asurgere. R. Fieri debent quæq; legitimis & minime prohibitis mediis. 2. Posse abinde vicissim aliqua liberari. R. Subest ingens periculum. Qvi hoc amat, peribit in eo.

IN LOCO
DE IMAGINE DEI.
THEOREMATA.

DE primo homine, & imagine Dei in eodem, consideranda veniunt sequentia. 1. Consultatio. 2. Corporis formatio. 3. Animæ insufflatio. 4. Evæ à costa exstructio. 5. Adami & Evæ ad imaginem creatio. 6. In paradysum collocatio. 7. Certorum ciborum cõcessio.

2. Consultatio proponitur Gen. 1. Faciamus hominem in imaginem nostram, secundum similitudinem nostram. Hic consilium inveniunt personæ divinitatis: neq; enim Angeli, neq; potentiæ in materia nos crearunt, sed Deus. Consultatione autem præviâ condidit hominem, non quod inops consilii, sed ut monstraret hominis præ aliis creaturis excellentiam.

3. Corpus formavit Deus à terra. In fonte est עפר & אדמה. Ubi illa vox pulverem minutissimum: hæc terram humore subactam denotat. Et præterea ציור occurrit in fonte, unde est ציור figulus vel formator, Es. 43, 1. Moses enim describit nostram formationem ex simili.

4. Spiraculum vitarum inspiravit Deus in faciem, nihil verò aliud est נשמת אלהים quam anima. Consule Job. 33, 4. Spiritus Dei fecit me, & spiraculum omnipotentis vitam indidit mihi; unde Eccles. 12, 7. Spiritus redit ad Deum, ut pulvis in terram.

5. Vitarum autem dicitur, non vitæ, quia omnes vires animæ sunt in homine, vegetans, sentiens & rationalis. Neq; tamen hoc ipsum est perpetuum in sacris, quoniam Gen. 7, 22 & de brutis, his viribus carentibus, usurpatur eadem formula.

6. Inspirando dedit Deus, quia facillimum fuit ei hominem creare, non secus ac nobis est, flatum ex ore emittere: & quid prohibet, si spiraculum hoc collatum dicamus per lentum halitum à Deo excitatum, quomodo Christus insufflando contulit Spiritum Sanctum, Job. 20, 22.

7. In faciem נשמת inspiravit, ubi beth non notat organum, sed causam